

Pulens et Claudia, alique, uti ad Dextrum docui, A
notum est ex ipso Martiali epig. 9, 39 et 59, lib. 1 et
E lib. II. Stoicum etiam scimus ex ipso etiam epig. 39
lib. 1, cum

Magni Thræse consumatique Catonis,
Dogmata

Decianum sequi dicat : Emeritensem etiam vocat lib.
eod., epig. 58 :

Gaudent iocosa Canio meo Gajes
Emerita Deciano meo.

Inter purpureas martyrum laureas emicat etiam
radians corona confessorum Felicis, qui Eulalam
et Juliam in Rutiano prælio comitatus est, et Donati
presbyteri, a quo edocta Eulalia ab ejus infantia rudimen-
tis ut Christum fateretur, ut Breviaria antiqua
Palentinum et Salmantin. testantur. De his vid. Mor.
lib. 1, cap. 20; Mariet. part. 1, lib. 1, cap. 40, et
Padill. cent. IV, cap. 14. Quid plures? Plures Pau-
lo nostro debemus, quos hic non repetam. Tantum
addam, præcipuum Emeritensium erga Deiparam B
Virginem Mariam ab antiquissimis temporibus amorem
et cultum, sed verbis Juliani in Adversar : Ab Aposto-
licis temporibus maxima per Hispanias in B. Virginem
devotio et singularis amor ; quam, cum in vivis esset,
inviabant peregrini quotannis cum muneribus, erat-
que frequentissima celeberrimisque peregrinatio ex to-
tius orbis partibus ad eam. Præcipue civitates hæc mit-
tebant suos peregrinos Tarriconens, Pamplionenses,
Barcinonenses, Idienses, Casaraugustani, Bracaren-
ses, Clunienses, Asturicenses, Toletani, Emeritenses,
quibus, earumque civitatibus. Virgo sanctissima. benedi-
cens, et in suam tutelam recipiens, domum lætos et
devotos remittit.

Alios etiam bellica virtute et litterarum laude
illustres Emerita dedit, quos etsi tacitos nunc præ-
termittam,

Agit penna haut metente solvi
Fama superstes.

Inter militari gloria claros vir. illust. Claudium
ducem Emeritensem

Unum pro cunctis Fama loquatur. .

De quo plura ad cap. 19 Pauli. Inter scriptores,

Si quis Cerrope madidus, lætæque Minervæ
Artibus.

Emeritam ornat.

Dispeream si non hic Decianus erit

Ut illius amici verba usurpem epig. 40, lib. 2, a quo
inter Catullum, Maronem, Livium, Nasonem, Senecas,
Lucanum et alios scriptis insignes viros Decianus
etiam celebratur epigr. 62 ejusd. lib. Nec inferiori
gloria dignus Idacius Hisp. Episcop. cognomento et elo-
quio clarus (apud Isidor. Hispal. cap. 2. et Honorium Au-
gustuden., in quo Idacius, pro Anicio reponendus, de
Script. illustrib. Eccl. s.) qui scripsit quemdam librum
sub Apologetici specie, in quo detestanda Priscilliano-
rum dogmata et maleficiorum ejus artes libidinumque
e us probra demonstrat, ostendens Marcum quemdam
Memphiticum, magicæ artis scientissimum, discipulum
Manis fuisse et Priscilliani magistrum. Hic autem cum
Ursacio episcopo ob necem ejusdem Priscilliani, cujus
accusatores exstiterant, Ecclesiæ communionem privatus,
exilio condemnatur, ibique die ultima fungitur, Theo-
dosio majore et Valentiano regnantibus. De eo vido
quod superius, cum de episcopis agebamus, dictum
jam est.

Eruditorum agnoscenda claudat Paulus noster, quem
primum a multis desideratum et laudatum nunc damus,
ut in eo cujus causa hoc, quidquid est, libelli impetu-
sum est, cum Deo quiescamus.

ANNO DOMINI DCX-DCXII.

GONDEMARUS,

REX GOTHORUM.

NOTITIA HISTORICA IN GONDEMARUM.

(Marianus, Hist. de Esp.)

Gondemarus, Witterico occiso, Gothorum regnum
continuo obtinuit, salutis anno sexcentesimo decimo :
an conjurationis princeps regnandi spe tantum facin-
rus suscepit ; an procerum suffragiis, cum bello
paceque prudentia esset singulari ? Francorum viribus
a lictum arbitror (licet enim in rebus tam dubiis
hallucinari), qui Witterico infensi erant, regem
factum : argumento vectigalis annui quod Francis a
Gundemaro solvi consuevisse satis constat ex Bulga-
rani comitis, Galliam Gothicam pro rege ea ætate
gubernantis, litteris : quæ ad hanc diem Compluti et
Oveti inter veteres schedas librosque servantur. Unde
præterea intelligitur Gundemari legatos a Francorum
regibus semel violatos, sacros etiam inter gentes
barbaras. In quo, etsi commissis videbantur ut
hostium loco essent, nova missa legatione, Hispanis
oratoribus ne conveniendi quidem reges potestatem
factam. His injuriis Bulgaranus animo commotus,
Theodorici oratores aditu Hispaniæ prohibuit ; et,

cum ad bellum spectaret, correptis repente armis,
Jubinianum et Corneliacum oppida, quæ ex foedere a
Reccaredo cum Francis inito Brunehildis cesserant,
in Narbonensi Gallia, pulso Francorum præsidio, ad
Gothorum potestatem revocata. Ea ne Francorum
armis repeterentur Brunehildis morte factum arbitramur
non multo post consecuta, nulla ex se prole
superstite. In Hispania Gundemarus Vascones im-
perio denuo rebellantes, ducesque et copias, quibus
Romani linitis custodia in Hispania credita erat,
prospero belli eventu exagitavit, salutis anno sex-
centesimo duodecimo, Toletique ex morbo obiit.
Regnavit annum unum, menses decem, dies tredecim :
ex Hilduara uxore nullam, quodam sciat, prolem reli-
quit. Quo tempore Romanam reipublicam in
Oriente Heraclius, Phocæ successor, obtinebat. Ec-
clesiam Romanam post Gregorium, Sabinianum,
Bonifacium III, Bonifacius eo nomine IV governa-
bat ; Ecclesiam Toletanam Euphymii, Tonantii, Adel-

phii successor, Aurasius studiis litterarum doctrinae-
 quae, animi magnitudine et probitate cum quovis
 priorum comparandus. Eo pontifice atque adeo
 primo anno regni Gundemari, viginti quinque praesules
 ex variis Hispaniae partibus Toletum convocati
 in causa Toletani episcopi et episcoporum provinciae
 Carthaginensis, conventu coram rege ejusque jussu
 habito, disceptarunt. Euphimijs enim Toletanus
 praesul in superioribus Toletani concilii actis se metro-
 politanum per imprudentiam dixerat provinciae Car-
 petaniae. Reliqui praesules Carthaginensis provinciae,
 quae regionibus multo latior erat, Euphimijs sub-
 scriptionem vertentes ad occasionem libertatis, Ec-
 clesiae Toletanae parere recusantes, ad dicendam
 causam vocati, sententiam mutare compulsi sunt :
 cum secundum Aurasii jura, tum a rege pronuntiatum
 esset, tum ab episcopis, in quibus Leandro fratri jam
 defuncto successor Isidorus Hispalensis, Innocentius
 Emeritensis, Eusebius Tarraconensis, et praeter hos,
 nisi codices sunt vitiosi, Benjamin Dumiensis erant.

A Quam sententiam separato codi illo Carthaginensis
 provinciae praesules quindecim, quorum res agebatur,
 confirmarunt. Prologenes, sanctae Ecclesiae Segon-
 tinensis, Theodorus Castulonensis, Minicianus Segob-
 hensis, Stephanus Oretanus, Jacobus Mentisanus,
 Magnentius Valerensis, Theodosius Ercavicensis,
 Martinus Valentinus, Tonentius Palentinus, Portarius
 Segobitensis, Vincentius Bigastriensis, Eterius Basti-
 tanus, Gregorius Oxoniensis, Praesidius Complutenis,
 Senabilis Elotanus. Unde intelligitur Toletani metro-
 politani ditione multo plures Ecclesias olim quam
 nostra aetate contineri. Nam de primatu, quem in
 omnes Hispaniae Ecclesias obtinet, neque nunc dispu-
 tamus, neque tunc de illo suscepta erat disceptatio.
 Ex Montani, haud dubium, tempore olim Toletani
 episcopi, conventu in ea urbe habito, jus in omnes
 B Carthaginensis provinciae Ecclesias praesulibus Tole-
 tanis datum, ipsi quorum causa agebatur conflatur :
 ut hujus conventus acta et horum episcoporum sanctio
 manifesto declarant.

FLAVII GONDEMARI

GOTHORUM REGIS

DECRETUM DE ECCLESIA TOLETANA.

(Mansi, Concil., t. X.)

*Flavius Gundemarus rex venerabilibus Patribus no-
 stris Carthaginensibus sacerdotibus.*

Licet regni nostri cura in disponendis atque guber-
 nandis humani generis rebus promptissima esse vi-
 deatur, tunc tamen majestas nostra maxime glorio-
 siori decoratur fama virtutum, cum ea quae ad Di-
 vinitatis et religionis ordinem pertinent, aequitate
 rectissimi tramitis disponuntur; scientes ob hoc pie-
 tatem nostram non solum diuturnum temporalis
 imperii consequi titulum, sed etiam aeternorum ad-
 pisci gloriam meritorum. Nonnulli enim in disciplinis
 ecclesiasticis, contra canonum auctoritatem, per
 moras praecedentium temporum, licentiam sibi de
 usurpatione praeteriti principis fecerunt: ita ut qui-
 dam episcoporum Carthaginensis provinciae non re-
 vereantur, contra canonicae auctoritatis sententiam,
 passim ac libere, contra metropolitanam Ecclesiae po-
 testatem, per quasdam fratras, et conspirationes,
 inexploratae vitae omnes episcopali officio provehi,
 atque hanc ipsam praefatae Ecclesiae dignitatem im-
 perii nostri solio sublimatam contemnere; perturban-
 tes ecclesiastici ordinis veritatem, ejusque sedis auc-
 toritate, quam prisca canonum declarat sententia,
 abutentes. Quod nos ultra modo usque in perpe-
 tuum fieri nequaquam permittimus, sed honorem
 primatus, juxta antiquam synodalis concilii auctori-
 tatem, per omnes Carthaginensis provinciae ecclesias
 Toletanae ecclesiae sedis episcopum habere ostendi-
 mus: cumque inter suos coepiscopos, tam honoris
 praecellere dignitate quam nominis; juxta quod de
 metropolitanis per singulas provincias antiqua cano-
 num traditio sanxit, et auctoritas vetus permisit.

Neque eandem Carthaginensem provinciam in an-
 C cipiti duorum metropolitanorum regimine contra
 Patrum decreta permittimus dividendam, per quod
 oriatur varietas schismatum, quibus subvertatur fi-
 des, et unitas scindatur; sed haec ipsa sedes, sicut
 praedictum est, antiqua nominis sui, ac nostri cultu
 imperii, ita et totius provinciae polleat ecclesiae di-
 gnitate, et praecelleat potestate.

Illud autem quod jam pridem in generali synodo
 concilii Toletani a venerabili Euphemio episcopo
 manus subscriptione notatum est, Carpetaniae pro-
 vinciae Toletanam esse sedem metropolim, nos ejus-
 dem ignorantiae sententiam corrigimus: scientes
 procul dubio Carpetaniae regionem non esse provin-
 ciam, sed partem Carthaginensis provinciae, juxta
 quod et antiqua rerum gestarum monumenta decla-
 rant. Ob hoc, quia una eademque provincia est,
 C decernimus ut, sicut Bactica, Lusitania, vel Tarra-
 conensis provincia, vel reliquae ad regni nostri regimi-
 na pertinentes, secundum antiqua Patrum decreta,
 singulos noscuntur habere metropolitanos, ita et
 Carthaginensis provincia unum eundemque, quem
 prisca synodalis declarat auctoritas, et veneretur
 p inatam, et inter omnes provinciales summum
 honoret antisitem; neque quidquam contempto
 eodem ultra fiat, qualia hactenus arrogantium sa-
 cerdotum superba tentavit presumptio. Sane per
 hoc auctoritatis nostrae edictum, amodo et viveudi-
 damus tenorem, et religionis, vel innocentiae legen-
 nec ultra potest modum inordinata licentia ab episcopis
 similia fieri patimur, sed per nostram clementiam
 praeterita negliguntiae, pietatis intuitu, et veniam